



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.  
Thomam De Beatitudine. De Actibus HUMANIS. De  
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.  
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

**Lessius, Leonardus**

**Lovanii, 1645**

Art. 6. Vtrum pœnitentia sit prima virtutum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)



ne, & conuertar; & infra v. 19. Postquam conuertisti me, egi pœnitentiam. In quem locum Hieronymus, Hoc ipsum, quod pœnitentiam agimus, nisi Dominus nos ante conuertit, & nisi Dei nitamur auxilio, nequaquam implere valeamus. Ioan. 6. v. 44. Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit illum.

Concilia,

Probatur Secundò: Ex Concilio. Nam in Concilio Palestino definitum est contra Pelagium, Pœnitentiam donum Dei esse; vt testatur Augustinus epistola 106. & in Araucano Can. 4. dicitur Per Spiritus sancti infusionem & operationem in nobis fieri, non tantum vt à peccatis purgemur, sed etiam vt purgari velimus. Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 6. & 14. docet Principium Pœnitentia, & iustificacionis esse diuinam excitacionem. Item can. 5. & can. 3. dicit Principium Pœnitentia esse gratiam prauentem, seu prauentem Spiritus sancti inspirationem. Vide plura 1. 2. quaest. 109. art. 6.

Timor feruilis quomodo sit principium Pœnitentia,

Dico Secundò; Timor feruilis est primus motus pœnitentia, tanquam primus motus voluntatis ad pœnitentiam ordinatus. Suppono autè timorem feruilem, & odium peccati ob hunc timorem immediatè conceptum, esse bonū, contra hereticos nostri temporis: de quo infra. Probatur: Prima ratio quæ ordinariè homini offertur, cur velit feruere, & absolute relinquere peccatum, est timor pœnæ, videlicet gehennæ; iuxta illud Isaia 26. vers. 18. apud Septuaginta, A timore tuo concepimus, & quasi parauerimus, & peperimus Spiritum salutis, id est, veram pœnitentiam.

26 Ordo motuum, & actuum Pœnitentia,

Notandum autem ex D. Thoma hoc loco, & ex Concilio Trident. sess. 6. can. 6. quod primus motus, quo disponimur ad pœnitentiam, est excitatio diuina, vt dictum est. Secundus motus est motus Fidei, quæ inter cetera credit peccator Deum pœnæ æternæ peccatis constituisse. Hinc oritur tertius motus, qui est timor feruilis, quo homo timet damnari propter peccata sua; & idcirco incipit illa odisse, & proponit relinquere. Timor itaque feruilis, quo inlar seruorum timeamus pœnam, & detestamur peccatum propter pœnam, est primus motus affectus seu voluntatis ad pœnitentiam ordinatus. Nā sola excitatio diuina præcedit, quæ nō est motus liber, sed impulsus quidā necessarius à Deo inmissus; & fides, quæ est motus intellectus. Quartus motus est Spes venia: peccator enim considerans Dei misericordiam, qui gratis impium iustificat per Christum, concipit spem venia; per quam à timore illo terribili respirat. Quintò, incipit Deum diligere ob immensam illius bonitatem, & misericordiam, per quam peccata condonat, & iustitiam infundit. Sextò, odit peccatum, quatenus est offensio Dei, tanquam benignissimi Patris, & proponit illud cōpensare.

27 Quomodo pœnitentia procedat à charitate, vt proximo principio,

Dico Tertio: Pœnitentia procedit à charitate, seu timore filiali, tanquam proximo principio imperante. Patet ex serie actuum iam descripta: & ratio est; quia non est perfecta pœnitentia per se idonea ad reconciliationem, nisi de peccatis doleamus, eaque vindicemus, quatenus Deum offendunt; ac proinde, nisi doleamus ex affectu beneuolentia, seu charitatis in Deum: vt patet exemplis humanis: qui enim offendit Principem, si non doleat quod ipsum offendit, sed tantum, quod sibi nocuit, non meretur reconciliationem; quæ nihil est aliud, quàm beneuolentia recuperatio. Quod autem D. Thomas ait, Pœnitentiam debere procedere à timore filiali, sic accipiendum est, vt charitas,

quatenus odit & timet peccatum, vt offensam benignissimi Patris, vocetur Timor filialis: per illum enim bene disponimur, & inclinamur ad timendam Dei offensam, tanquam optimi Patris, quem summè amare, & cuius offensionem filij diligentissimè cauere debent.

Petes: An omnes isti actus sint necessarij ad veram pœnitentiam?

Respondeo: Excitatio diuina est omnino necessaria. Similiter actus fidei, seu prudentia supernaturalis, quæ fide nititur. Deinde actus spei; nam sine spe venia non possumus pœnitere. Præterea actus dilectionis. Timor autem feruilis non semper est necessarius; quia fieri interdum potest, vt quis sine metu villo damnationis, ex consideratione, & amore diuinæ bonitatis conuertatur; vt videtur contigisse in Paulo, & Magdalena. Neque etiam expressa voluntas compensandi, aut vindicandi peccatum est necessaria, vt supra dictum est: sufficit enim dolor de peccato ex amore Dei cum proposito emendationis.

28 Qui motus sint necessarij ad veram pœnitentiam.

ARTICVLVS VI.

Vtrum Pœnitentia sit prima virtutum?

Respondeo & Dico Primo: Habitus Pœnitentia non est prior habitibus aliarum virtutum. Probatur: quia non prior tempore, cum omnes virtutum habitus simul infundantur, iuxta communem sententiā: nec etiam prior natura; quia pœnitentia supponit fidem, tanquam propriam regulam, vel saltem prudentiam infusam supponit, quæ fide tanquam fundamento, & principio nititur. Deinde, etiam Spem supponit, quia nemo inclinatur ad pœnitentiam, nisi Spe venia. Tertio, Charitatem supponit; nam Charitas respicit Deum sub priori ratione, quàm Pœnitentia: respicit enim Deū absolute, vt ipse in se summum bonum est: Pœnitentia autem solum supposito peccato respicit Deum, quatenus Deo debetur à creatura compensatio propter iniuriam; quorum posterius oritur ex priore; idcirco enim Deo fit iniuria per peccatum, quia ipse est summum bonum, quod peccato contemnitur.

29

Quos habitus virtutum præsupponat pœnitentia.

Dices: Potest quis dolere de hoc solo, quod Deum iniuriā affecerit, non curando ipsius amicitiam aut honorem: sed solum, quod omnis iniuria, & præsertim erga Principem, sit detestanda.

Respondeo, Fortasse id fieri posse: sicut fieri potest, vt quis doleat, quod Principi fecerit iniuriam, etsi illum non amet. Verum hic dolor non erit perfecta pœnitentia, nec sufficiet per se ad reconciliationem, vt patet ex supra dictis: nam perfecta pœnitentia manare debet ex beneuolentia eius, quem offenderis.

Dico Secundò: Actus Pœnitentia perfectus non est primus actus virtutum. Patet ex serie actuum ad pœnitentiam necessariorum.

30

Dico Tertio, Actus tamen Pœnitentia plerūque prior est actibus virtutum moralium, vt Temperantia, Fortitudinis, Iustitia particularis, & similibus. Probatur: quia recta ratio dicit, vt peccator prius Deo per Pœnitentiam reconciliari studeat, quàm alijs virtutum operibus incumbat. Nam sine hac reconciliatione virtutum opera, quantumuis magna, nihil profunt.